MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80596-14

AUTHOR:

BRULL, CARL

TITLE:

DE GUNA ET VRIDDHI...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1868

Master Negative #

92-80596-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887.5
Z8
v.15

Brüll, Carl,
De guna et vriddhi in Graecorum coniugatione. Dissertatio...quam...defendet scriptor Carolus Brüll... Monasterii, typis Aschendorffianis, 1868.
32 p. 22 cm.

Thesis, Münster.


Volume of pamphlets


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 05 27 1992 INITIALS EmC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

An Herrn Oberlehrer Dr. Wentzel hochachtungsvoll d. Verf.

DE GUNA ET VRIDDHI IN GRAECORUM CONIUGATIONE.

DISSERTATIO GRAMMATICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE INPETRANDOS

DIE VI. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXVIII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

CAROLUS BRÜLL
GUESTFALUS.

MONASTERII,
TYPIS ASCHENDORFFIANIS.
MDCCCLXVIII.

MATRI

OPTIMAE · CARISSIMAE

PIETATIS · CAUSA

A.

DE VOCALIUM MUTATIONIBUS IN UNIVERSUM DISSERITUR.

§. 1.

DE VOCALIUM GRADATIONIS ORIGINE.

Vocalium gradatio, qualis se habeat in graeca coniugatione, quanam nitatur origine, quae eius sit vis ac natura, ut probe cognoscatur, non solum nos mutationes, quas in graeca et cognatis linguis sanscrita, gothica vocales subeunt, percurrere opus est, sed etiam ab antiquissima linguae indogermanicae aetate suscipientes, quale fuerit vocalium systema, disquirere et investigare. Illo tempore, cum lingua ex radicibus tantum constabat neque flexione utens neque compositione, tres solae et quidem breves vocales erant: a, i, u. Posteriore aetate eo progressa est lingua, ut radices radicibus adglutinaret itaque verba formaret quo factum est, ut vocalium quoque multitudo evaderet ditior. Duae enim radices ut coniungi possent et ad unum verbum et quidem dissyllabum pronuntiatione conprehendi, necesse erat una syllaba alteri praevaleret. Quod vero sermo hac ratione est assecutus, ut et unam altiore vocis accentu instrueret et vocalem eiusdem syllabae plerumque augeret. Quae amplifi-

catio, a grammaticis indicis vocata Guna, efficitur ita, ut brevibus vocalibus a, i, u breve a praefigatur[1]). Sic ex

a
+ a i u

evadunt vocales gunatae[2]) â, ai, au.

Vocalium igitur systema illa aetate, quae a viris doctis vulgo vocatur urindogermanisch, hoc erat:

Voc. simplices:	Voc. gunatae:
a	â
i	ai
u	au.

Indi decursu temporis diphthongos ai et au in ê et ô contraxerunt et gunationem repetentes denuo breve a vocalibus iam gunatis praeposuerunt[3]), quam gradationem vocant Vriddhim.

---

[1]) Cf. Bopp Vergld. Gramm. ed. II. I. p. 45 sq. Scrt. Gramm. ed. III. p. 33. Schleicher Compend. ed. II. p. 11 sq. in Kuhns Beiträgen z. verglchd. Sprf. I. p. 318. Wilh. v. Humboldt Kawispr. I. p. CLXI.

[2]) Perspicuitatis causa utar formis gunare et vriddhire, quae circumscriptae non tam facile intellegi possent.

[3]) Contrariam doctrinam profert Bopp (Vergld. Gramm. I. p. 46. Scrt. Gramm. p. 33. A. 1.), cui adstipulantur Christ (Griech. Lautlehre p. 63.) et Holtzmann (über den Ablaut), vocales vriddhitas ex simplicibus praefixo longo a esse natas.

At adversatur quod sanscrite â cum sequenti i aut u non in âi aut âu, quod ex Boppii quidem sententia fieri debebat, sed in ê aut ô coalescit. Quodsi vero ad hanc difficultatem removendam â, priusquam contraheretur, corripi in a docet, errasse videtur mihi vir doctissimus, cum potius vocales simplices quae ad quantitatem quod attinet sunt inpares, semper in diphthongos transeunt gunatas.

Deinde pro nostra facit explicatione quod cum altera gradatio multo post priorem sit orta (cf. §. II. p. 7.) magis consentaneum est et concinnum linguam ex vocalibus gunatis vriddhitas eadem re qua illas ex simplicibus effecisse, quam ad priorem illum statum regressam novam iniisse viam. Et in ipsa lingua sanscrita, si respicis formas stavya (laudandus) et stâvya (prorsus laudandus), aperte vocales vriddhitae ex gunatis oriuntur.

Ita igitur ex

a
+ ê (ai), ô (au)

oriuntur vocales vriddhitae âi, âu.

Si vocales gunatae ai et au pronuntiabantur ê et ô, vriddhitas ai et au edere sufficiebat; sin illae ai et au, hae necesse erat promerentur âi et âu. Ipsae vriddhitae diphthongi multum videntur mihi attulisse ad contrahendas gunatas, cum nimium quid operae et accentus opus esset, ut soni ai et âi, au et âu acute inter se distinguerentur.

Gunatum a vero cum augeri non posset, — quomodo enim fieri potuit, ut â, ex a + a ortum, et â, natum ex a + â, edendo discernerentur? — huic inopiae ita consultum est sanscrite, ut si vocales i et u gunentur, a plerumque integrum maneat, vriddhiatur, sin illae alteram gradationem in se recipiant, unde redundat grammaticorum indicorum sententia a vriddhitionem tantum admittere.

Ex his hoc indicarum vocalium gradationis paradigma ante oculos ponere liceat:

Voc. simplices:	Voc. gunatae:	Voc. vriddhitae:
a	a (â)	â
i (î)	ê (ai)	âi
u (û)	ô (au)	âu
ar (ṛ), al (ḷ)	ar, al	âr, âl.

Neque vero nominum patronymicorum formatio, quam Bopp l. c. argumentum gravissimum ad conprobandam suam sententiam adfert, nobis adversatur. Non enim est cur miremur quod formae vocalibus gunatis instructae recentioribus inde ortis, quae vriddhitionem admiserant, cesserint et interierint, praesertim cum vis verbi primaria esset et insignis. Itaque invaluit mos ut posterorum nomina semper gradationem alteram in se reciperent. Aliquoties quoque alia lingua gunatam servavit vocalem, cuius loco alia praebet vriddhitam, ut graecum Ζεύς (dyavs) medium tenet inter R. div (dyu) et indicum dyâus, quare recte colligitur etiam sanscrito dyâus praecessisse aliam formam dyôs (dyaus), unde illud sit natum.

Denique ex Boppii sententia, id quod iam W. v. Humboldt l. c. p. CLXIII. A. obiecit, nulla intercedit ratio inter gunationem et vriddhitionem.

In linguis occidentalibus loco genuini a tres breves vocales occurrunt a, e, o. Littera a enim, quam linguae asiaticae (sanscrita, arica, antiquissima persica) servarunt integram, in illis ad sonum e propius accessit atque primum certe pronuntiabatur ä. Postea revera in e est correpta, quam vocalem servarunt Itali et Graeci, Gothi attenuarunt in i, nisi munita erat sequente r aut h. Simile quid in latina lingua reperitur, qua peperi, adveho dicitur, cum potius ex analogia formarum cecini, tetigi, colligo, aliarum exspectaveris pepiri, adviho [1]).

Multo postquam a in e est correptum, transiit in grave o, quae vero soni mutatio severe et constanter in graeca et latina tantum lingua, in thiudisca perraro est perfecta.

Si ponderis respectum habes, vocales graecae *α* et *ο* graviores sunt quam *ε*. Quod cum in radicibus potissimum occurrat, ad vocalem radicalem augendam sufficit tenue illud *ε* in *α* vel *ο* mutare neque vero semper opus est gunatis *ᾶ*, *η*, *ω*. Itaque in gradatione litterae a vocalium copia graeca lingua longe antecellit sanscritae, quae saepe, ubi i et u gunet, vriddhiat a necesse est.

Ita sanscritis verbis bhâras, vâhas, vâstu, âgas respondent graeca *φόρος*, *ὄχος*, *ἄστυ*, *ἄγος*, in quibus vero vocales *α* et *ο* non per correptionem ex â sunt ortae, sed in graecorum nominum formatione idem valent atque â sanscrite. Non recte mihi igitur Schleicher [2]), quocum facit Curtius [3]), de gunatione cogitasse videtur, si *ο* sanscritae vocali â respondet, sin *α*, de correptione, quamquam *ο* saepissime invenitur. Quodsi vero idem [4]) vir doctissimus *α* in columna vocalium gunatarum prorsus omittens vocali *ω* et diphthongis ab *ο* incipientibus *οι*, *ου* plus ponderis vindicat quam vocalibus *ᾶ*, *αι*, *αυ*, illas vriddhitas esse, gunatas has docet, non accedo, cum littera a et gravissima et omnium antiquissima sit, ex qua ceterae deinde per attenuationem effluxerunt [5]).

---

[1]) Cf. Curtius Berichte d. sächs. Ges. d. Wiss. April 1864, p. 9 sq.
[2]) Cf. Comp. p. 63. A. 2.
[3]) Cf. Grundzüge d. griech. Etymologie ed. II. p. 384.
[4]) Cf. l. c. p. 56. — [5]) Cf. Christ Griech. Lautlehre p. 64.

Ut in gunatione vocalis *α* graeca lingua copia et numero litterarum longe indicae antecellit, ita sanscritis ê et ô sex respondent diphthongi *αι*, *ει*, *οι*, *αυ*, *ευ*, *ου*, quibus addendae sunt, quas Schleicher omisit, longae vocales *ῖ* et *ῦ*, si ex *αι*, *αυ* sunt correptae, non vero ex genuinis *ι*, *υ* productione suppletoria ortae.

Vocalium igitur gradatio in Graecorum lingua sic se habet:

Vocales simplices:	Vocales gunatae:
α < *ε*, *ο*	*α*, *ο*, *ᾶ* < *η*, *ω*
ι	*αι* < *ει* — *ῖ*, *οι*
υ	*αυ* < *ευ* — *ῦ*, *ου*

Gunatio qualis in Gothorum lingua invenitur, a graeca gradatione, ad quam in universum proxime accedit, eo potissimum differt, quod vocalium *ε* et *ο* vices obtinent i et u. Res enim ita describi potest:

Vocales simplices:	Vocales gunatae:
a < i, u	ê, ô, ă
i	ai — ei (î)
u	au — iu

Et gunatio quidem in omnibus invenitur linguis cognatis, quare summo iure etiam antiquissimae linguae indogermanicae vindicatur; vriddhitionem vero in illis non exstare, sed solis Indis esse propriam paragrapho altera demonstrabimus. —

Quodsi vocalium graecarum gradationem comparamus cum indica, elegantia et facilitate sermonis, rhythmo verborum, vocalium copia longe graeca sanscritam linguam superat, quae propter graves et duras diphthongos et unam quandam soni ac spiritus intentionem nimis moleste atque invenuste accedit ad aures. At idem vitio et opprobrio illi sermoni vertere possis, quod priscam illam simplicitatem et perspicuitatem nimium in modum absterserit. Nam nisi lingua sanscrita facem nobis praetulisset, qua in arcanae linguae officinam descendere possimus, etymologicam huius

vocalium mutationis vim et causam intellegere nunquam nobis fuisset concessum.

---

§. II.

VRIDDHITIO NUM GRAECAE LINGUAE SIT VINDICANDA?

Etsi concedamus exstare graece formas nonnullas, quarum vocales fortasse vriddhitione nitantur, velut πλώω, ῥώω, ζώννυμι, ῥώννυμι, ναῦς, θαῦμα, attamen persuasum habemus sententiam quam proposuit Leo Meyer[1]) secuti, qui vero ad eam conprobandam causas non adfert, alteram gradationem non magis in cognatis linguis latina et gothica quam in graeca prorsus invaluisse neque in verborum flexione et formatione eandem vim exercuisse atque gunationem.

Viri docti aliter hac de re sentiunt.

Bopp[2]) quae sua sit hac de quaestione sententia non diserte explanavit, concedit vero in linguis occidentalibus perpauca tantum superesse exempla quae vocales praebeant vriddhitas.

Christ[3]) alteram gradationem exstare quidem, sed a gunatione severe distingui non posse putat, cum diphthongi a longa vocali incipientes partim alteram litteram abiecerint, partim in dialectis tantum inveniantur.

Schleicher[4]) vero id potissimum urgens, quod ο litteram ε pondere superet, inter diphthongos ει, ευ et οι, ου eandem rationem intercedere contendit, quam habeant indicae gunatae ê et ô cum vriddhitis âi et âu. Idem de ω comparato cum litteris η, ο valere. Graviores vocales cum in

¹) Cf. Vergl. Gramm. d. griech. u. lat. Sprache I. p. 143.
²) Cf. l. c. I. p. 54.
³) Cf. l. c. p. 63.
⁴) Cf. Kuhns Beitr. I. p. 143. Comp. p. 56. 62. 151.

perfecto praecipue occurrerent, etiam antiquissimis temporibus, cum gentes occidentales ab asiaticis nondum discessissent, sed in eadem patria coniunctae habitarent, hoc tempus vriddhitionem vocalium postulasse.

Adsentitur Schleichero quod attinet ad linguam gothicam Grein[1]) litteris ô, ai, au cum ê (â), ei, iu eandem esse rationem atque superlativo cum conparativo, illas ex genuinis vriddhitis, ex primitivis gunatis esse profectas has.

Equidem vero ut statuam vriddhitionem sanscrite tantum inveniri conpluribus adducor argumentis.

Primum ipsa lingua indica demonstrat vocales vriddhitas aliquanto post gunatas esse ortas cum perraro illis utatur.

Nam in coniugatione quae propria huius vocalium mutationis est materia, vriddhitio nisi in radicibus quae vocalibus sunt terminatae non adhibetur, quas vero Leo Meyer non esse primitivas putat, sed ex genuinis in ay et av desinentibus correptas[2]).

Quae sententia si recte se habet, diphthongi âi et âu vulgatis nituntur legibus nec quidquam habent insoliti.

At ut concederemus antiquissimam linguam indogermanicam vocalibus vriddhitis esse usam et praecipue atque severissime ad perfectum formandum eas adscivisse — profecto mirum esset, si lingua sanscrita, quae sonos graves et asperos amet et prae ceteris religiosissime has vocalium mutationes adhibeat, eam legem, si antiquitus valuisset, postea prorsus neglexisset? Et sanscrite quidem altera gradatio in verbis derivatis potissimum occurrit, quae a primigeniis iam gunatis descendunt.

Neque vero quae adfert Schleicher perfecta graeca ἔῤῥωγα, πέπωκα, ἔωκα, ὄδωδα pro sua sententia mihi dicere videntur. Nam ω formarum ἔῤῥωγα et πέπωκα sine dubio eo est situm, quod varietas quaedam sonorum Graecis sit gratissima. Ex dorica enim participii forma ἐῤῥηγεῖα[3]) recte concluditur aliud perfectum ἔῤῥηγα, praesertim cum Dores constanter in ῥήγνυμι indeque derivatis η servent.

¹) Cf. Ablaut p. 10—13.
²) Cf. l. c. I. p. 412.
³) Cf. Ahrens Graecae linguae dialecti II. p. 132.

Idem de *πέπτωκα* valet cum ionicum participium *πεπτεώς* non possit nisi a *πέπτηκα* derivari, id quod demonstratur analogia ceterorum *τεθνεώς*, *δεδμεώς* quae descendunt a perfectis *τέθνηκα*, *δέδμηκα*[1]). In *ἕωκα* ω dissimilationi, assimilationi in *ὄδωδα* deberi videtur, quod perfecta (*αφ*)*ἕηκα* et *ὄδηδα* nimis invenuste ac moleste incedant.

Quodsi vero Schleicher in universum *ω η* litteram pondere superare docet, aperte refutatur quod exstant etiam formae nonnullae, in quibus vocalis *η* gravioris est momenti. Si enim *πτήσσω* (timorem iniicio) conparas cum *πτώσσω* (timeo), *η* gravius esse concedes, quod amplificatione vocalis radicalis notio verbi intransitiva transit in transitivam[2]), qua de re conferas placere cum plâcare, pacisci cum pâcare. Quodammodo quoque huc pertinent verba nôcere et nĕcare, quorum hoc quod, si significationem respicis, est fortius, e, illud levius o praebet, unde colligas etiam ê interdum plus ponderis habere quam o.

Quod denique ad diphthongos *οι* et *ου* attinet negari nequit iis plus ponderis esse attribuendum quam litteris *ει* et *ευ* et ob id ipsum fortasse ad perfectum formandum adscitas, quod tempus propter reduplicationem et gravem vocalem copulativam *α* maius habet pondus quam praesens.

Praeterea vero est tenendum Graecos copia vocalium elegantissime esse usos ad tempora distinguenda. Ut enim in declinatione *ποδός*, *πόδες*, *πόδας* dicunt, cum Indi unam tantum eiusdem vocabuli formam padas (gen. sgl. padás, nom. pl. pâdas, acc. pl. pádas) excoluerint, ita etiam in *λείπω*, *λέλοιπα*, *ῥήγνυμι*, *ἔῤῥωγα*, *σεύω*, *ἔσσουα* vocales coloraverunt. Minime vero in graecis *ω*, *οι*, *ου* alteram superesse gradationem concludi potest, qua severe servata Graeci ipsos Indos superent.

Equidem hoc potissimum nitor argumento omnibus linguis esse proprium ut sonos studeant mitigare.

Quo lingua est antiquior, eo minus reiicit et respuit litteras et litterarum connexiones graves et duras. Vocalis a, quae toto ore aperto editur, ut clare et acute pronuntietur,

---

1) Cf. Buttmann Ausführl. griech. Gramm. ed. II. p. 277.
2) Cf. Bopp l. c. III. p. 88 sq.

plus virium opus est, quam ad molles litteras e et o promendas requiritur. Quod pulchre intellegitur duplice via qua ad vocales augendas ingressae sunt linguae sanscrita et occidentales. Dum illius enim proprium est, ut vocalem genuinam a servet integram et ad numerum litterarum augendum duplicem adhibeat gradationem, hac rem quà amplificatio ipsa efficitur, vocalem a dico, attenuant, quo evadunt diphthongi multo molliores ac suaviores. Quodammodo ipsa lingua sanscrita huic mori[1]) indulget, cum vriddhitione exorta ubi gunet i et u, a persaepe non amplificet. Quam rem Graeci magis reddiderunt perspicuam, quod *ε* ex *α* correptum gravioribus vocalibus *α* et *ο* opposuerunt, quod *ο*, quamquam revera ex *α* est attenuatum, tamen pondere genuino *α* non cedit. Simile quid gothice exstat ubi inter primigenium a et i inde profectum eadem intercedit ratio quam *ε* habet cum *ο* aut *α*. Apud Gothos cum a in breve o non sit attenuatum, genuinae diphthongi ai et au non sunt mutatae, sed integrae servatae, non vero ex vriddhitis âi et âu per correptionem natae. Cur vero a sibimet ipsi praefigi non potuerit, id quod docet Grein[2]) ad conprobandam suam sententiam, non intellego.

Denique mihi quidem pro proposita sententia facere videtur, quod vocales vriddhitae non semper mechanico ortae sunt modo, sed etiam nonnunquam symbolica praeditae notione. Ita participium stavya eum significat qui laudandus est, stâvya aucta verbi vi qui prorsus est laudandus. Sonorum autem mutationes quae symbolica indutae sunt vi et notione, non sunt primitivae, sed posteriore aetate factae. Gunationem vero mechanicis tantum quibus soni sunt subiecti legibus niti, licet adversantibus Pottio[3]) et Curtio[4]), clare demonstravit Bopp[5]), cui adstipulatur W. v. Humboldt[6]) nisi quod vocalium gradationi, quae in verborum intensivorum occurrit formatione, symbolicam attribuit vim.

---

1) Cf. Curtius l. c. p. 367 sq. Bopp l. c. III. p. 365 A.
2) Cf. l. c. p. 11.
3) Cf. Etymolog. Forschungen ed. II. Tom. II. a. p. 667 sq.
4) Cf. Tempora und Modi p. 148.
5) Cf. l. c. I. p. 197. II. p. 378.
6) Cf. l. c. p. CLXV.

Neque vero quae supra attulimus exempla, quorum vocales vera vriddhitione niti dicebantur, tam certa sunt, ut aliam explicationem non admittant. Quod ad *πλώω*, *ῥώω* attinet, quorum *ω* Schleicher[1]) ex genuino *ων* restare putat, res ita quoque expediri potest, ut propter excisum digamma o sit productum, quae est Curtii[2]) sententia. De *ζώννυμι*, *ῥώννυμι* aliam proposuit doctrinam Kuhn[3]), quocum faciunt Benfey[4]) et Sonne[5]), ex R. dyu, ru (sru) per gunationem effluxisse dyav—as, rav—as, quae v extruso in dyôs, rôs = *δjως*, *ῥωσ* abierint, unde gracca sint orta *δjώσνυμι*, *ζώννυμι*, *ῥώσνυμι*, *ῥώννυμι*.

Idem de forma homerica *πόληες* valet, cuius *η* rectius cum Sonne[6]) antiquo y quod postea est exstrusum deberi statuas, quam ex vriddhito *ηι* redundare, id quod antea docuit Schleicher[7]). Fortasse vero *η* huius formae, nisi prorsus artificiosa ea est et quaesita, contractione duorum *ε* est ortum, ut ex genuino *πόλαι-ας* per *πολεε-ες* evaserit *πόλη-ες*.

Quod denique ad diphthongum *αυ* attinet, utrum sit gunata an vriddhita, difficillimum est diiudicatu. Nam neque grammatici de discrimine in pronuntiando facto prout *α* huius diphthongi breve erat aut longum quidquam tradiderunt neque ex ionicis *ηυ* et *ωυ* certum quid colligi potest, cum Iones *αυ* ceterarum dialectorum constanter per *ηυ* aut *ωυ* reddant etymologicam vocalis *α* quantitatem non respicientes. Quare e. g. longum *α* (*η*) vocabuli *ναῦς*, *νᾶος*[8]), attici *νηός* pariter digammati postea eiecto deberi potest atque *η* formae *πόληες* exstruso y.

Certa igitur documenta et vestigia vriddhitionis neque graece neque gothice exstant. Nata esse nobis haec gradatio apud Indos videtur, cum a cognatis gentibus sese segregassent et in terram, quam postea obtinuerunt, abiissent.

---

[1]) Cf. l. c. p. 69, 777. — [2]) Cf. Grundzüge d. griech. Etymologie p. 505, 553. — [3]) Cf. Kuhn, Zeitschrift f. d. verglchd. Sprachf. II. p. 469. — [4]) Cf. Kuhn l. c. VIII. p. 94. — [5]) Cf. Kuhn l. c. XIII. p. 410. — [6]) Cf. l. c. p. 425. — [7]) Cf. Compend. ed. I. p. 443. — [8]) Cf. Ahrens l. c. I. p. 35, 122.

§. III.

GUNATIO QUANAM NITATUR CAUSA?

Cum adgrediar, num certum quid primarium statui possit nec ne cui gunatio debeatur, disquirere et investigare, multae et diversae virorum doctorum sententiae sunt respiciendae, qui vero de vocalium ea praecipue amplificatione quae in lingua thiudisca occurrit, disseruerunt.

Et primus quidem mihi adferendus est Iac. Grimm[1]), vocalium mutationes, quas verba germanica primitiva (starken) subeant, in dynamica et symbolica vi esse sitas, ut et tempora et perfecti reduplicati numeri inter se distinguerentur.

Grimmio primus est adversatus Bopp[2]), qui thiudiscam desonationem (Ablaut) artissime cohaerere contendit cum indica gunatione et mechanico ortam esse modo. Quodsi vero terminationibus personarum eam mutationem vocalium deberi putat, id potissimum obstat, quod ante unam eandemque terminationem alia verba gunantur, alia incrementa non accipiunt aut etiam vocalem radicalem attenuant; conferas bôdhâ-mi, âbôdha-m cum tudâ-mi, átuda-m, çúçyâ-mi, áçucya-m. Accedit quod, quamquam per se elucet si radicis fini additis gravibus suffixis pondus nimium in modum est adgravatum, mediam vocabuli partem attenuari et corripi, prorsus intellegi nequit unde suffixis levioris momenti ea sit vis ut vocales radicales augeantur.

Aliam proposuit sententiam Holtzmann[3]), quam ex parte tantum quod attinet ad praeteritum germanicum amplius extendit et defendit Pauli[4]), gunationem sequente a effici simulque autem cohaerere cum prosodia. In universum vo-

---

[1]) Cf. Deutsche Gramm. I. ed. III. p. 34—37, 556—579; II. p. 79. Geschichte d. deutschen Sprache p. 842—862, 892—910.

[2]) Cf. Berl. Jahrb. 1827 p. 259; Vocalismus p. 13 sq. Verglchd. Gramm. II. p. 328 sq. Verglchd. Accentuationssystem p. 92—97.

[3]) Cf. Heidelb. Jahrb. 1841 p. 770 sq. Ablaut p. 7, 25, 43.

[4]) Cf. Kuhn l. c. XII. p. 50—69.

calium mutationes quas Grimm vocat Ablaut et Umlaut non habere quo differant.

Sane constat saepissime vocalem syllabae alterius in praecedentem transilire, sed ea tantum ratione ut post eam quae in syllaba antecedente exhibetur locum obtineat, non vero ut in gunatione illi praefigatur. Unam tantum rem quae a Grimmio adpellatur Brechung, hoc respectu cum gunatione conparare possis, quam vero in alia causa esse sitam docuit Curtius [1]).

Accedit quod quamquam ex Holtzmannii sententia cur vocalis radicalis augeatur aut maneat integra, explicari potest, non vero liquet quam ob causam nonnullis in verbis prorsus corripiatur et opprimatur ut bhrjjâmi, vicâmi, jîryâmi, quorum radices sunt bhrajj, vyac, jar.

Tertium ut recte se habeat haec sententia, statuamus oportet aut terminationum formam antiquissimam ab a incepisse aut omnibus radicibus, priusquam terminationes essent additae, vocalem a cuius quae fuerit vis non liquet, esse adfixam. Sequitur ut I. et VI. verborum indicorum coniugationes secundum Boppium, quae sanscrite et in cognatis linguis graeca et latina latissime patent, antiquissimae et primigeniae flectendi rationis praebeant nobis adspectum, unde II. exciso illo a sit orta. Talis autem sententia nullam prae se fert veri speciem et omni caret analogia, cum potius in omnibus linguis formae et formandi rationes primitivae semper interierint et cesserint recentioribus. Alteram vero indicam coniugationem primordiis linguae multo ditiorem fuisse ex aoristis quoque nonnullis iure concluditur.

Praeterea, si Holtzmannium sequeris, etiam nomina quae sine ullius suffixi opera e nuda radice formata vocales praebeant gunatas, ut sit nâus, vâc, graeca *ναῦς*, *ὤψ*, *χείρ* (doricum *χήρ*), latinum ôs, cum Benfeyo et Meyero [2]) non primitiva esse putes oportet, sed ex plenioribus stirpibus littera a terminatis mutilata. Cur ergo e. g. propter lati-

[1]) Cf. Berichte der säsch. Ges. d. Wiss. l. c.
[2]) Cf. Vergld. Gramm. II. p. 177 sq. Kuhn l. c. V. p. 366 sq. Schleicher l. c. p. 346. Bopp Verglchd. Gramm. III. p. 359.

num navis graecum *ναῦς* mutilatum esse ducas, non intellego cum potius graeca forma mihi genuina esse videatur, quae ex R. nu (snu) gunatione est profecta. Latinum navis vero ex falsa analogia adiectivorum ut levis, gravis, tenuis, brevis, quae antea in-us desinentia secundum IV. declinationem proprie flectenda erant, i adsumpsit. Latini enim omnia nomina ex nuda radice formata in vocalem desinentia reddiderunt.

Alias dubitationes quae mihi in perpendenda Holtzmannii sententia exortae sunt, locis aptioribus adferam.

Aliter illa de quaestione iudicavit Wilh. v. Humboldt [1]), antiquitus duas verborum flectendorum rationes exstitisse, quarum unam constanter vocalium gunationem postulasse, alteram eas non mutasse, sed integras esse tuitam. Quam nunc exstare coniugationem, eam non primitivam esse, sed ex confusis illis duabus profectam. Quam ad sententiam proponendam commotus esse mihi vir doctissimus videtur cum certam quandam causam cur vocales gunatae essent inveniri non posse putaret.

Hanc vero primus investigavit et invenit Benfey [2]), cui adstipulantur Leo Meyer [3]) et Christ [4]), totam vocalium mutationem, quae in coniugatione occurrit, prorsus ex prosodia pendere. Cui sententiae, quae quod ad linguam thiudiscam attinet novis argumentis conprobata est a Greinio [5]), ut adsentiamur, statuamus oportet quam nunc in lingua graeca invenimus accentus rationem, eam non primigeniam esse sed licet adversante Boppio [6]) recentioribus deberi legibus. Pro hac opinione id potissimum dicit, quod aliter prorsus non liquet cur in *φαμέν*, *ἐσμέν* accentus contra usitatam normam sit mutatus.

In universum duae illae coniugationes primariae, quas Bopp [7]) sanscrite discernit, si accentum respicis, ita inter se

[1]) Cf. l. c. p. CLXVII.
[2]) Cf. Kleine Sanscrit Gramm. §. 12.
[3]) Cf. Verglchd. Gramm. p. 143 sq.
[4]) Cf. l. c. p. 63.
[5]) Cf. l. c. p. 13 sq.
[6]) Cf. Vergl. Gramm. I. p. 192. Verglchd. Accentuat. p. 16 sq.
[7]) Cf. Scrt. Gr. p. 206. Verglchd. Gramm. II. p. 348.

differunt, ut una quae classes I, IV, VI, X continet nunquam terminationes personarum accentu instruat, fere semper perpaucis exceptis formis altera. Et praeter classes III et IV et imperfecta[1]) severissime gunatio in prosodia est sita. Si enim accentus in syllaba radicali est positus, vocalis eiusdem gunatur, nunquam attenuatur; sin cadit in alteram, aut manet integra aut etiam corripitur. Praeterea verba quoque quae secundum coniugationem X. flectuntur, nobis adversantur, quorum vero syllabam radicalem antiquitus tenore instructam fuisse ipse Bopp[2]) concedit. Cum vero ea verba non a nudis radicibus descendant[3]), sed a nominibus inde ortis, a nostra commentatione excludemus.

Alia vero quaestio multo difficilior oritur cuinam rei accentus mutatio debeatur, cur aliis in classibus in radicem ipsam cadat, aliis in suffixa radicibus addita aut terminationes. Tota res in vi et notione horum suffixorum versatur.

Sanscrite praeter II. et III. classes, in quibus radici sine ullius vocalis aut suffixi opera terminationes adfiguntur, radices inter et terminationes vocalis a aut syllabae quaedam ya, na, nu intruduntur.

Quod ad syllabas a nasali incipientes attinet, Lepsius[4]) et Curtius[5]) docent intrusis nasalibus verba simili modo augeri et amplificari atque gunatione vocalium aut reduplicatione. Mihi vero magis adridet doctrina quam proposuerunt Bopp[6]) et Schleicher[7]), syllabas illas veras esse radices et verbis adfixas, ut ea certa quadam vi ac notione induerent. Conprobatur haec sententia eo potissimum argumento, quod syllabae istae in praes. et impf. sing. Par. tenore sunt instructae et gunatae, quod certe mirum esset, si nunquam quid significassent.

---

[1]) Accentus rationem illarum formarum non primigeniam esse infra demonstrabimus.
[2]) Cf. Verglchd. Accent. p. 82.
[3]) Cf. Schleicher l. c. p. 353 sq. Curtius Erläuterung, p. 137.
[4]) Cf. Palaeographie als Mittel f. d. Sprachf. p. 73 sq.
[5]) Cf. l. c. p. 110. Tempora und Modi p. 53 sq.
[6]) Cf. Verglchd. Gramm. II. p. 348–353.
[7]) Cf. l. c. p. 762—766.

Similis controversia de vocali a, quae in I. et VI. classe radicibus adfigitur, inter viros doctos exorta est. Et Pottium quidem qui symbolicam notionem et vim huic a attribuit[1]) iure refutavit Curtius[2]). Quam vero ipse explicationem proposuit Buttmannum secutus, hoc a ad pronuntiationem tantum commodiorem reddendam esse intrusum, vereor ne recte se habeat. Constat enim quo antiquior sit lingua eo minus eam abhorrere a duris consonarum connexionibus. Et in graecae quidem linguae posteriore aetate multo latius vocales copulativae invaluerunt quam primordiis. Accedit quod prorsus incredibile est, id quod iam Bopp[3]) Curtio obiecit, gravissimam ipsam vocalem electam esse ad tam leves et inanes partes explendas. Maxime vero labefactatur Curtii sententia quod in hymnis vedicis etiam verba in vocalem desinentia illo a instruuntur velut da-at, pa-anti.

Mihi quidem verisimillimum videtur hoc a idem esse atque suffixum a, quod in nominum formatione saepissime occurrit; bôdhâmi proprie igitur significat (der) Wisser ich[4]).

Si coniugationum I. et VI. utra sit antiquior quaeris, mihi VI. prior exstitisse videtur quod primitivam prosodiae rationem servavit. Antiquissimis temporibus eam etiam sanscrite multo latius patuisse et ex aoristis nonnullis concludi potest et ex linguis cognatis graeca, latina, gothica, quarum permagna verborum pars secundum hanc classem flectitur. Certe mori illi sonorum mitigandorum debetur, quod eae linguae hanc flectendi rationem prae ceteris adamaverunt et excoluerunt.

Antiquissima prosodiae ratio mihi talis fuisse videtur, ut, si radici terminationes personarum sine ullius suffixi opera adfigerentur, radix, sin suffixa infigerentur, haec accentu instruerentur et gunarentur. Turbatum est hoc prosodiae systema, cum radix nimis gravibus adgravaretur terminationibus, quae ut in duali, plurali, medio tenorem attraherent.

---

[1]) Cf. Etymol. Forschg. I. p. 73. II. p. 678.
[2]) Cf. l. c. p. 40 sq.
[3]) Cf. l. c. II. p. 356.
[4]) Cf. Bopp l. c. Schleicher l. c. p. 763.

Quare et accentus respectu alteram coniugationem primariam antiquiorem esse putamus.

Quanam vero re nitatur quod I., VI. et IV. classes postea hanc prosodiam neglexerint, certam causam adferre nequeo. Ex parte quidem certe in eo haec inconcinnitas est posita quod alia lex invaluit, secundum quam a ante primas terminationes personarum augebatur (tudâmi, tudâmas, tudâvas; bodhâmi, bôdhâmas, bôdhâvas). In universum huius a et suffixi ya quae fuerit vis prius quam ceterorum suffixorum videtur in oblivionem venisse.

Restat denique ut moneamus neque sanscrite neque in cognatis linguis graeca, latina, gothica radicem si in duas exit consonantes gunare licere. Nam *o* graeci *δέδορκα* non magis amplificatione nititur quam a gothici haihalt, immo, si accuratius rem perpendis, graecum o attenuationem quandam est passum, cum ex genuino a sit profectum. Qua lege aperte demonstratur gunatione vocalium linguam id spectasse ut gravior quaedam fieret pars verbi neve pondere reliquarum opprimeretur.

Simile quid in verbis gothicis occurrit, quae secundum I. classem coniugationis II. flectuntur. Si enim vocalis radicalis longa est sive natura sive positione, j ante terminationes ab i incipientes in i transit, sin vero brevis est, plus ponderis et praesidii opus est ut radix servetur integra, quare j consonae naturam servat, ut in nasjis, nasjith, quae conferas cum sôkeis, sôkeith, tarmeis, tarmeith. Eandem legem in declinatione quoque observatam esse invenies si conpares harjis cum hairdeis.

De graeca lingua praeterea tenendum est, cum antiquissima prosodiae ratio interiisset, vocalium gunationem aliis in formis ut in perfecto latius esse progressam quam sanscrite, aliis prorsus evanuisse. Sic in *πνέω*, *πλέω*, *ῥέω* e. c. accentui non ea fuit vis, ut genuinam amplificationem servaret, quam exhibent vero futura *πνεύσω*, *πλεύσομαι*, *ῥεύσομαι*, cum diphthongus sequente consona sit munita.

Etiam sequentis suffixi vocalis ad gunationem servandam aliquid attulisse videtur, si conparas formas *τρωπάω*, *τρωχάω*, *νωμάω*, *στρωφάω*, *πωτάομαι* cum *καλέω*, *σταλέω*,

quod etsi non exstat, tamen ex aeolico *σπολέω* [1]) iure concluditur. Omnia haec enim verba derivata graviores praebent vocales quam simplicia *τρέπω*, *τρέχω*, *νέμω*, *στρέφω*, *πέτομαι*, *στέλλω*. Quod vero in aliis *ω*, aliis *α* occurrit, in eo videtur mihi esse situm, quod illa per terminationem graviorem -*άω*, per leviorem -*έω* haec sunt derivata, quamquam *δαμάω* huic sententiae non convenit.

Iam vero ad ipsam graecam coniugationem me convertam, qua in contemplanda dux mihi erit lingua sanscrita. Inveniemus in universum graeca verba easdem vocalium mutationes subire atque indica. Quam rem cum sanscrite artissime cum prosodia cohaerere demonstremus, summo iure concludi potest eandem accentus rationem antiquitus graece quoque et in ceteris linguis cognatis valuisse.

---

[1]) Cf. Ahrens l. c. I. p. 76.

B.

PRAESENTIS INDICATIVUS.

§. IV.

In classe I.[1]) verborum indicorum vocalis radicalis et gunatur et tenore notatur neque vero unquam corripitur.

Graece huc pertinent primum verba quae in praesente diphthongos *αι*, *ει*, *αυ*, *ευ*, *ου* ex radicali *ι* aut *υ* ortas praebent, ut *αἴθω*, *λείπω*, *αὔω*, *τεύχω*, *λούω*[2]), quibuscum conferas gothicam VII. et IX. classem coniugationis potioris[3]) (giuta, beita).

Deinde adferenda sunt verba quorum in syllaba radicali *ῑ* aut *ῡ* reperitur, cum eae vocales non propter consonam excisam ex genuino *ι* aut *υ* productione suppletoria sint ortae, sed ex gunatis *ει* (*αι*) et *ευ* (*αυ*) profectae, ut *τρίβω*, *θλίβω*, *φρύγω*. Aliquoties diphthongi quoque sunt servatae. Sic vulgatum *ἴκω* per *εἴκω*[4]) dialecti doricae, quae omnino formas praebet antiquiores, eodem modo explicatur quo boeoticum *ῖμι*[5]) solito *εἶμι*. Diphthongi *ει* *ε* iam primis temporibus a sequente *ι* videtur attractum esse, cum iam apud antiquos Graecos *ει* et *ι* permutentur[6]). Et in boeo-

---

[1]) Cf. Bopp l. c. I. p. 204. II. 349. Scr. Gramm. p. 244. Schleicher l. c. p. 76 sq. 778 sq.
[2]) Cf. Curtius Griech. Gramm. p. 98 §. 248. Erläut. p. 97.
[3]) Quod ad coniugationem gothicam attinet secutus sum Grimmii distributionem qualis exstet in tom. I. (ed. II.) et II. libri qui inscribitur: Deutsche Grammatik.
[4]) Cf. Ahrens l. c. II. p. 345.
[5]) Cf. Ahrens l. c. I. p. 189.
[6]) Cf. Ahrens l. c. I. p. 97.

tica quidem dialecto fere constanter *ῑ* loco soliti *ει* occurrit, qua in re consentit cum lingua gothica, cuius ei enim non diphthongum esse, sed producti *ι* tantum partibus fungi demonstravit Bopp[1]). Iisdem mutationibus, quas antiquum *αι* graece subiit, gothicum ai syllabae reduplicativae est adfectum, qua de re cf. haihalt cum thiudisco heihalt, quod per hîhalt, hîált, hîelt in nostrum transiit hielt.

Quod ad *ῡ* attinet graece quidem non exstant exempla, quibus demonstretur eodem modo quo *ῑ* ex *αι*, *ῡ* ex *αυ* effluxisse; latina autem lingua formas antiquiores velut douco servavit[2]). In ipsa vero lingua sanscrita huius mutationis unum quidem certum exemplum reperitur gûhâmi[3]) conparatum cum graeco *κεύθω*, quod primitivam gunationem est tuitum. Etiam gothice in duobus verbis uslûkan et vûlan û occurrit[4]). Et correptum *υ* et graece et latine[5]) invenitur, inprimis si verba in *υ* (u) desinunt (cf. *λύω* c. goth. lausjan lat. reluo), quo est factum, ut ab iis quae secundum VI. sct. classem declinantur non differant. Idem de verbis *θέω*, *νέω*, *κλέω*, *ῥέω*, *χέω* valet, quorum *υ* radicale in digamma mutatum decursu temporis est eiectum. Genuinam autem diphthongum, quae in ceteris dialectis in futuro tantum et aoristo adparet, Aeoles servarunt etiam in praesente secundum grammaticos, quos adfert Ahrens l. c. I. p. 37. Et antiquissima quoque diphthongi forma *αυ* verbo *ναύω* est servata quos in Alcaei fragmentis occurrit[6]). Utrum vero *υ* an digamma, id quod contendunt Ahrens[7]) et Leo Meyer[8]), his in formis antiquius sit, diiudicari nequit[9]). De *θέω* (*θεύω*) fortasse recte Ahrens suspicatus

---

[1]) Cf. Verglchd. Gramm. I. p. 96 sq.
[2]) Cf. Schleicher l. c. p. 785.
[3]) Cf. Bopp Sert. Gramm. p. 245.
[4]) Cf. Bopp Verglchd. Gramm. I. p. 206. A. v. d. Gabelentz und Loebe Ulfilas II b. p. 93. A.
[5]) Cf. Corssen kritische Beiträge zur latein. Formenlehre p. 514.
[6]) Cf. Ahrens l. c. I. p. 241 Nro. 3.
[7]) Cf. Ahrens l. c. I. p. 38.
[8]) Cf. l. c. I. p. 412.
[9]) Cf. Curtius Grundzüge d. griech. Etym. p. 498.

est, cum iam sanscrite radix dhav inveniatur. Reliquorum vero verborum radices in u desinunt.

Huc quoque proprie referenda sunt verba, quae omnia tempora et modos formant ex radicibus gunatis [1], quarum vocales genuinae nunquam in coniugatione quidem inveniuntur, velut γεύω, δεύω, λείχω, lat. dûco, fîdo [2]. Ea inconstantia sine dubio in eo sita est quod causa cur vocalis sit gunata non amplius sentiebatur.

Si in radice vocalis a est, graece aut gunatur et quidem, si excipis τρώγω, semper η (dorice ᾱ) evadit aut servatur integra [3]) aut transit in ο. Verba quae has vocales in praesente exhibent certe ex analogia huius indicae quam tractamus classem sunt declinata et syllabam radicalem notarunt accentu. Gothice his verbis respondent quae a Grimmio in class. I. et VII. adferuntur. Greinio, qui verborum faran, skapjan a radicale non primitivum esse, sed ex â (ê) correptum contendit [4]), non adsentior. Quod enim verborum, quae in praesente vocalem i exhibent in syllaba radicali (classes X—XII. sec. Grimm), in perfect. sgl. a radicale non augetur, videtur mihi deberi mori illi omnibus linguis proprio, ut sonos graves et duros mitigent. Sic inter nimu et nam quod attinet ad vocalium pondus eadem ratio intercedit atque fara inter et fôr. Praeterea conferas graeca δέδορκα, δέδρομα (δέρκω, δρέμω) cum τέθηλα (θάλλω).

Eadem nititur re quod sanscrite radicale a non gunatur, sed integrum servatur. Unum tantum verbum gunatum a servavit krâmâmi, quod productione ortum esse non recte docet Bopp [5]). Graece vero multo saepius η occurrit, quod certe in tenuitate et levitate huius litterae est positum, quae, ut contractionis legibus demonstratur [6]), non plus habet ponderis quam ο.

---

[1]) Cf. Curtius Tempora u. Modi p. 74.
[2]) Quibuscum verbis cf. gothica quae secundum Grimmii classes II., III., IV., VI. flectuntur.
[3]) Non recte Curtius l. c. verba quae in syllaba radicali α praebent, cum iis, quae ε ibi habent, confudit.
[4]) Cf. l. c. p. 15.
[5]) Cf. Bopp Sert. Gramm. p. 245.
[6]) Cf. Christ l. c. p. 53.

Et accentus quoque respectu religiosissime haec verba graeca indicis respondent.

---

§. V.

In classe VI. [1]) suffixum a accentu instruitur, quo fit, ut vocales radicales i et u gradationem in se non recipiant, a in i corripiatur.

In censum horum verborum referenda sunt graeca ε in syllaba radicali exhibentia, cuius loco gothice i occurrit in Grimmii class. X—XII. Cum in graecis et latinis radicibus ε (e) saepissime inveniatur, statuamus necesse est apud gentes occidentales, cum sese segregassent a cognatis asiaticis, hanc declinandi rationem praevaluisse, quo est factum, ut radicale a corriperetur et in graecoitalica quidem lingua in e, quod gothice amplius est attenuatum in i. In γλίχομαι (γλίχω) radicale ι integrum et simplex est servatum.

Omnia haec verba antiquitus ex analogia sanscritae classis VI. accentum in suffixo a posuerunt:

τρεπώ(μι), τρεπέ(τ)ι, τρεπόμεν, τρεπόντι.

A grammaticis indicis huic classi attribuuntur verba nonnulla, quorum ante consonam finalem nasalis est intrusa, cum vocales radicales gradationem non admittant, ut munj. câmi, sinjcâmi, krintâmi R. R. muc, sic, kart. Graece unum tantum certum exstat exemplum σφίγγω, cuius ι non est amplificatum. Curtio [2]) qui haec verba a ceteris prorsus separanda esse putat et I. potius classi propter incrementa, quae radices acceperint, adscribenda propter causas supra [3]) commemoratas non adsentior. Supersunt illae nasales ex genuinis syllabis, quae radicibus sunt adfixae ut verba certa quadam vi ac notione induerent. Postea nasales vocalibus terminationum amissis in radices transilierunt et tam firme

---

[1]) Cf. Bopp l. c. p. 246.
[2]) Cf. Tempora u. Modi p. 53 sq. Erläutrg. p. 110.
[3]) Cf. p. 22.

consonis radicum finalibus sese adglutinarunt ut novae quasi evaderent radices.

Dubitare vero possis utrum secundum VI. an I. verba illa lumpâmi, munjcâmi, quibus respondent latina, tango, findo, rumpo, sint flectenda. Nam quod vocalis radicalis non est gunata, nihil dicit, cum, si in duas radix exit consonas, in universum gradatio non admittatur. Magis vero pro illa sententia facit quod R. kart syllaba ar attenuatur, krintâmi, krintâti.

---

§. VI.

Propositae sententiae, gunationem accentu effici, adversantur verba quae secundum sanscritam classem IV. declinantur [1]). Quamquam enim vocalis radicalis tenore instruitur, tamen non modo non gunatur, sed etiam interdum corripitur.

Qui Holtzmannium sequuntur semivocalem y obstare docent, ne gunatio admittatur. Quae vero sententia ut recte se habeat, in universum littera y id effectum reddat necesse est, quod vero secus est. Participiorum enim fut. pass. et nominum, quae formantur suffixo ya, radices et accentu instruuntur et gunationem admittunt, ut ksêpya R. kship, bhôgya [2]). Rectius igitur Benfey [3]), licet adversante Boppio [4]), quae nunc in iis verbis conspicitur prosodiae ratio, hanc non primitivam esse putat, sed recentiore aetate factam et studio deberi inter âtmanêpadam et passivum horum verborum distinguendi. Antiquitus cum suffixi ya vis et notio

[1]) Cf. hac de classe Bopp Verglchd. Gramm. I. p. 207—213. Scr. Gramm. p. 217. Schleicher l. c. p. 780 sq. Curtius Tempora und Modi p. 87—113. Erläutrg. p. 34 sq., p. 98. Grundzg. 534 sq., 592 sq. Griech. Gramm. p. 99. Christ Griech. Lautl. p. 158 sq.

[2]) Cf. Bopp l. c. p. 368.

[3]) Cf. Kl. Sanscrit Gramm. p. 80.

[4]) Cf. Verglchds. Accent. syst. p. 53

sentiebatur, sine dubio suffixum tenore notabatur, quo est factum, ut vocales radicales i et u manerent simplices, a interdum etiam corriperetur. Conprobatur haec opinio formis nonnullis, quarum vocalis radicalis ante sequens y prorsus est oppressa, ut dyâti, quod nunquam fieri potuisset, si radix fuisset tenore munita [1]).

Postea propter propositam illam causam prosodia est mutata, quae vero ad vocalem radicalem augendam nihil amplius valuit. Quod vero praecipue in passivo primitiva accentus ratio est servata, non est cur mireris, cum tota passivi vis suffixo ya contineatur. Graeci hanc flectendi rationem prae ceteris amarunt et excoluerunt.

Huc primum sunt referenda verba quorum y in *ι* aut *ε* transgressum in temporibus tantum specialibus reperitur, ut *δαίομαι* (*ἐδασσάμην*), *ἐσθίω*, aeol. *φυίω* respond. sct. bhugâmi (*φυ-ίω-μι*), *φιλέω*, *στυγέω*, *κυρέω*, *ἐμέω*. In *ἰδίω*, sct. svidyâmi, *μηνίω* *ι* radici est adglutinatum et in ceteris quoque temporibus occurrit.

Difficiliora explicatu sunt verba *δαίω* (*δεδαυμένος*, *δέδηα*), *καίω* (*καῦμα*), *κλαίω* (*κλαύσομαι*), quorum *ι* Christ [2]) ex genuino F emanasse putat. Cui si adsentimur, attribuamus oportet ea verba aut I. classi aut VI., prout radices *δυ*, *κυ*, *κλυ* aut *δα*F, *κα*F, *λα*F proponimus. Adversatus est Christio Curtius [3]), verba illa sanscritae classi IV. esse vindicanda [4]). Cum vero gunatio hic non admittatur, radices verborum antiquitus in — *α*F exiisse putemus necesse est, quarum finale digamma ante consonam y est extrusum, transiit in *υ* ante ceteras consonas (*καύσω*, *ἐκαύσθην*). Ne classi X. ea adscribamus, obstat quod y (*ι*) in praesente tantum et inperfecto occurrit. Idem de *πνείω*, *πλείω* valet, nisi potius in falsa analogia *ι* situm esse putamus [5]).

Verba *δοκέω*, *γαμέω*, *ὠθέω*, quae Christ propter vocales

[1]) Cf. Verglchd. Gramm. I. p. 210.

[2]) Cf. l. c. p, 193.

[3]) Cf. Grundzüge p. 506.

[4]) Cf. Temp. u. Modi p. 96.

[5]) Cf. Grundzüge p. 507.

[6]) Cf. l. c. p. 158.

gunatas per suffixum aya esse formata et indicis, quae secundum classem X. declinantur, respondere putat [1]), huc esse referenda aperte demonstravit Curtius [2]), cui de nonnullis quidem adsentitur Bopp [3]).

Aliis in verbis, quae in consonam exeunt, y in radicem transiliit et in ι mutatum cum vocali radicali coaluit in diphthongum, velut πείρω, φθείρω, σαίρω, χαίρω (πεπαρμένος, ἐφθαρμένος). Formae φαίνω, βαίνω, τείνω (τιταίνω) non ex simplicibus radicibus φα, βα, τα, sed ex nasali auctis φαν, βαν, ταν sunt derivatae (βανjω, βανίω, βαίνω). Quod vero in aliis verbis genuinum radicale α est servatum, in ε attenuatum in aliis, non in primitiva prosodiae ratione mihi situm esse videtur, sed potius sequenti y deberi, quod nonnullarum formarum α, priusquam transiliit, attraxit et in ε attenuavit. Quod ad φαίνω, βαίνω attinet, tenendum est neque radices neque formas inde derivatas exstare quae ε praebeant loco genuini α.

Verba in nasalem desinentia, quorum in syllaba radicali ῑ aut ῡ occurrunt, ut κλίνω, κρίνω, πλύνω, quomodo sint ortae, tribus modis explicari potest et primum quidem longas illas vocales gunatione niti ideoque verba I. classi esse attribuenda [4]) (R. κλιν aucta κλείν-ω, κλίν-ω). Et in τίνω quidem ea explicatio si respicis doricum futurum ἀποτείσω [5]) R. τι optime quadrat.

Tum putet fortasse quispiam propter aeolica κλίννω, κρίννω, ὀρίννω, σίννομαι [6]), quorum duplex ν sine dubio ex νj est ortum, usitata κλίνω, κρίνω ex antiquioribus κλίνjω, κρίνjω effluxisse et ita quidem, ut postquam y in ι mutatum in antecedentem syllabam sit intrusum, ῑ ex duobus illis ι contractis sit ortum (κλίνjω, κλινιω, κλιινω, κλίνω); cf. κῡρέω, φῑλέω, ξῡρέω, μαρτῡρέω cum κύρω, φίλω, ξύρω, μαρτύρω.

[1]) Cf. l. c. p. 158.
[2]) Cf. l. c. p. 538. Temp. u. Modi p. 9 ', 94.
[3]) Cf. l. c. I. p. 212.
[4]) Cf. l. c. p. 93.
[5]) Cf. Ahrens l. c. II. p. 184.
[6]) Cf. Ahrens l. c. I. p. 53.

Denique vero ita res expediri potest, ut in omnibus his verbis j ab antecedente consona primum sit attractum, postea excisum, quapropter ῑ et ῡ ex more usitato sint producta, ut ὀλοφύρω ex ὀλοφύῤῥω (ὀλοφύρjω) est profectum.

In universum quantitatis vocalium radicalium ante terminationem -νω est dubia, alia dialecto praebente longas, breves alia, quare diiudicari nequit, utrum producta vocalis genuinior et antiquior sit an brevis [1]).

Denique in hanc classem referenda sunt verba in — ζω, — σσω (ττω), — λλω desinentia [2]). Vocales radicales ι et υ nunquam gradationem in se recipiunt; α et integrum manet et attenuatur in ε, qua de re cf. λίσσομαι (λίτjομαι), σχίζω, κνίζω, κλύζω, βλύζω; πίσσω, βλίττω; ἕζομαι, χέζω, στέλλω, τάσσω, πράσσω, σφάττω, πάλλω, ἅλλομαι.

Omnia allata verba antiquissimis temporibus suffixum ya, non radicem tenore notarunt, quo factum est ut radix nunquam gradationem admitteret.

Cum graecis verbis quorum genuinum α in ε est correptum, conpares gothica bidjan, sitan, ligan, thiudisca billan, sizzan, liggan, swerran. Praeterea huc pertinent verba quae in ja desinunt et genuinum a servarunt ut vaian, laian, saian (Grimmii classis V). Non recte Greinium ob commemoratam causam [3]) illorum a radicale ex â (ê) correptum esse contendisse puto [4]). Ex consensu linguae sanscritae, graecae, gothicae hoc tantum recte concludi potest, ante suffixum ya in classe IV. gunationem prorsus non esse admissam; radicale a vero et integrum esse servatum et attenuatum.

Quod vero ad Grimmii classem VI. attinet, adsentior Boppio [5]) vocalem radicalem a esse quae in praesente in u loco usitatioris i sit attenuata. Verba igitur secundum sanscritam classem VI. sunt declinata.

[1]) Cf. Buttmann l. c. II. p. 66. A.
[2]) Cf. Curtius l. c. p. 99 sq. Grundzüge p. 545 sq.
[3]) Cf. p. 30.
[4]) Cf. l. c. p. 15.
[5]) Cf. Bopp l. c. I. p. 306. A. Grein l. c. p. 16.

§. VII.

Iam vero ad classem II.[1]) transeamus, qua antiquissima declinandi ratio est servata. Terminationes enim personarum sine ullius suffixi aut vocalis opera nudae adfiguntur radici. In singl. praes. par. vocalis radicalis et accentu notatur et gunatur; in ceteris vero numeris et âtm., ubi tenor in terminationes cadit, manet simplex aut etiam corripitur. Graeca verba mutatione vocalium radicalium religiose indicis respondent, differunt vero, si prosodiae respectum habes, quae ut alias hic quoque est mutata postquam vocalium systema firme erat expressum et excultum. Sic verbi *εἰμί* in singulari accentus ex analogia ceterorum numerorum est positus, ex analogia singularis in duali et plurali verbi *εἶμι*. Ad vocalium vero naturam mutandam haec inconcinnitas nihil valuit.

Accentum vero in duali et plurali antiquitus in terminationes cecidisse ex eo quoque adparet, quod sanscrite vocalis radicalis nonnullorum verborum, ut smás (ásmi), çishvás (çâsmi), uçvás (vâçmi) illis in numeris prorsus opprimitur, quod fieri non potuisset, si tenore fuisset instructa. —

In graeco *εἰμί* (*ἐσμί*) accentum prius in alteram syllabam esse transpositum, quam in *φημί* ex eo intellegitur, quod illius verbi genuinum *α* in *ε* est attenuatum, huius autem amplificatum est servatum.

Radicum in a[2]) exeuntium flexione lingua graeca ipsam

---

[1]) De verbis quae secundum hanc declinantur classem agunt Bopp l. c. I. p. 213—219. Scrt. gramm. p. 249—258. Schleicher l. c. p. 767.

[2]) Bopp grammaticos indicos secutus a lingua indogermanica radices verborum in breve a desinentes prorsus abiudicat, qua in re adsentientem habet Pottium (Etymol. Forschung II. b. I. p. 1. sq.), cf. Bopp l. c. I. p. 190. 230. Vocalem â (*η*) igitur verborum bhâmi, dádhâmi, *φημί*. *τίθημι* non gunatione ortam, sed genuinam esse putat. Quam vero sententiam iure refellere studuerunt Schleicher (Kuhn's Beiträg. II. 92.) et Leo Meyer (Verglchd. Gramm. I. p. 337.), quibus adsentitur Curtius (Erläutrg. p. 116). Si ergo in commentatione de radicibus quae in a desinunt loquor, eas in breve a exire intellego.

sanscritam antiquitate superat, cum indica verba illa usitatam vocalium mutationem non in se recipiant, sed amplificatum singularis â in ceteris quoque numeris servent, quamquam prosodia a vulgata lege non differunt. Simile quid in aoristis ádâm, aliis occurrit.

Verbi *κεῖται* (çêtê), cum neque sanscrite neque graece vocalis radicalis usitatam subeat mutationem, iam antiquissimis temporibus diphthongus *ει* (ê) quomodo sit orta in oblivionem venisse videtur. Si vero sanscrite in praeterito huius verbi augmento omisso accentus in syllabam cadit radicalem, cum potius terminationes eo instrui debeant, inde non natum esse puto, quia eadem prosodiae inconcinnitas in aliis quoque verbis occurrit, quorum vero vocales sunt attenuatae[1]).

Quod vero verbi *ἧμαι* *η* semper servatur, cum radix sonát âs (as), exciso *σ* deberi videtur.

---

§. VIII.

Classis III.[2]) ab II. eo potissimum differt, quod terminationes non nudae et simplici, sed reduplicatae adfiguntur radici, quae, quamquam in singul. par. gunatur, tamen caret accentu, quo syllaba praefixa instruitur. Haec vero prosodiae ratio antiquitus non valuit. —

Primitiva reduplicandi ratio ea erat, ut tota radix sibimet ipsi praefigeretur. Si in radicibus vocales *ι* et *υ* erant, in syllaba reduplicativa servabantur integrae. Radicale a vero hic sanscrite aliquoties, semper graece corripitur in i, qua de re cf. *τίθημι*, *ἵστημι* (*σίστημι*), *δίδωμι*, *ἵημι* (yayâmi), *πίπτω*, *γίγνω* cum indicis íyarmi, tish*t*hâmi, jijhrâmi. Sin antiquissimis iam temporibus syllaba praefixa tenore fuisset instructa, vocalis eiusdem non potuisset corripi et attenuari.

---

[1]) Cf. Bopp p. 251.

[2]) Cf. Bopp l. c. p. 259 — 266. Verglchd. Gramm II. p. 215 Schleicher l. c. p. 768—769, 778.

Accedit quod ipsa genuina prosodia in nonnullis verbis indicis ut bibhármi, juhômi, aliis est servata [1]).

Antiquitus igitur syllaba radicalis accentu erat praedita, quo factum est, ut praecedentis syllabae vocalis attenuaretur. Decursu temporis in prima syllaba tenor est positus, cuius vero ad vocalem mutandam nil valuit, si excipis radices nij, vij, vish. Mutata igitur est prosodia, cum formae firme erant expressae. In ipsa illa accentus mutatione consistit, quod verba tish*t*hâmi, jighrâmi, pivâmi in I. abierunt classem. Eandem ob causam vocalis radicalis in graecis *πίπτω*, *γίγνω* est oppressa, quae ex genuinis *πιπετωμι*, *γιγενωμι* secundum classem VI. declinatis videntur profecta esse.

In ceteris numeris syllaba radicalis tenoris est expers, quocum artissime cohaeret, quod nunquam admittitur gunatio, sed vocalis radicalis aut manet simplex aut etiam attenuationem patitur.

Brevi vocali radicis et attenuata syllabae praefixae aperte demonstratur antiquitus graece quoque accentui eandem fuisse sedem atque sanscrite. —

Restat ut de formis nênêjmi, vêvêjmi, vêvêshmi disseramus, quae et in radice et in reduplicatione praebent vocales gunatas [2]). Iam primis temporibus, cum causa gunationis etiam sentiebatur, accentus ab altera in primam transiit syllabam, quare huius quoque i est amplificatum. Quicum conparare possis diphthongos *αι*, *οι*, *ει* quae in verbis occurrunt intensivis ut *παιπάλλω*, *μαιμάω*, *ποιφυσάω*, *μοιμύλλω*, *δειδίσκομαι*, *δειδίσσομαι* [3]).

Christ [4]), qui alias verborum intensivorum formas, quarum syllaba reduplicativa aucta est nasali, velut *καγχάζω*, *βαμβαίνω*, *τονθορύζω*, in conparationem vocat, antiquos duplicem esse ingressos viam putat, ut syllabis reduplicativis

---

1) Cf. Bopp Scrt. Gramm. p. 259.
2) Cf. Bopp l. c. p. 265.
3) Cf. Leo Meyer l. c. I. p. 423. Bopp Vergleichd. Gramm. III. p. 108.
4) Cf. l. c. p. 62.

maius et gravius inderent pondus, aliis enim addidisse nasales, aliis vocalem i.

Quod attinet ad *ι* simile quid proposuit Bopp, qui l. c. dicit: „In *παιπάλλω* etc. vertritt die Beimischung eines i in der Wiederholungssilbe die Stelle der Verlängerung des Grundvocals.“

Adversari vero videtur mihi huic explicationi quod omni caret analogia, cum multae praeter has exstent formae, in quas ad pondus syllabae augendum vocalis *ι* sit intrusa. Quomodo ad tam inauditam augendi viam pervenerunt? Unde illud *ι* sumpserunt?

Rectius ergo *ι* genuinum esse putamus, unde per gunationem diqhthongi illae *αι*, *οι*, *ει* evaserunt, suadente etiam lingua sanscrita [1]), in qua verbis intensivis syllaba praefixa est amplificata. Repetenda enim sunt *παιπάλλω* [2]), *μαιμάω*, *κοικύλλω*, cetera a verbis simplicibus *πιπάλλω*, *μιμάω*, *κικύλλω*, quorum in syllaba reduplicativa genuinum *α* in *ι* est attenuatum. Ut vero in perfecto *ε*, sic in praesente *ι* fere solum in ea syllaba regnat. Aucta et amplificata verbi vi syllaba reduplicativa et tenorem attraxit et gunationem admisit.

Quod vero simplicia illa *μιμάω*, *πιπάλλω* interierunt, ne offendaris, quia persaepe formae genuinae et antiquae a recentioribus inde ortis opprimuntur; praesertim cum nonnullorum verborum ipsa vis intensiva venerit in oblivionem. Simili modo genuina *θῆμι*, *δῶμι*, *στῆμι* unde, quae vocantur

---

1) Cf. Curtius Tempora und Modi p. 71. 90. Leo Meyer l. c. I. p. 417 sq.
2) De *παιπάλλω* monendum est etiam substantiva *παιπάλη* et *πασπάλη* inveniri, quorum hoc consonam initialem R. spal. servavit. Quodsi vero Curtius Grundzg. p. 260 in *παιπάλη* *ι* eadem ratione loco genuini *σ* esse contendit atque in *εἰμί* falli virum doctissimum puto. In *εἰμί* enim propter excisum *σ* vel potius *μ* (*ἐσμί*, *ἐμμί*, *εἰμί*) conpensationis causa *ι* est ortum, cum ab Aeolibus secundum morem antiquum *ε* in *η* sit productum, in *ει* a ceteris Graecis. Ea vero explicatio in *παιπάλη* non quadrat cum non constat *α* propter excisum consonam produci in *αι*. Quare formae potius sunt separandae et *παιπάλη* aut ex falsa analogia formata aut derivata a verbo *παιπάλλω*.

aorista secunda *ἔθην*, *ἔδων*, *ἔστην* descendunt, vulgatis *τίθημι*, *ἵστημι*, *δίδωμι* cesserunt et evanuerunt.

Si litterae *ι* et *υ* in radice exstant, diphthongus *αι* per assimilationem quam vocant regressivam transit in *ει* et *οι* [1]). Non recte autem Dietrich [2]) verba in syllaba reduplicativa *οι* et *ει* exhibentia cum aliis *μορμύρω*, *γογγύζω* confundens vocalem *ο* propterea esse adscitam mihi contendere videtur, quod lingua amet syllabae praefixae aliquid ponderis demere. At in his verbis intensivis vocalis pondus non minuitur, immo augetur et amplificatur. In verbis *κηκίω* et *κωκύω* lingua indulsit dissimilationi, cum loco formarum quas exspectaveris *κικίω* et *κικύω*, quae parum belle ac venuste accedant ad aures, posuerit *κεκίω* et *κοκύω*, unde gunatione profectae sunt illae *κηκίω* et *κωκύω*.

Similis vocalium mutatio gothice quoque occurrit in perfecto reduplicato.

Diphthongum ai enim syllabae reduplicativae non brevem esse id quod suspicatus est Pauli [3]), sed gunatione ortam recte demonstrarunt Bopp [4]) et Grein [5]).

Gothicum háihalt enim eodem modo ex antiquissimo hahált per hihált est ortum, atque *παιπάλλω* (proprie *παιπαλjω*) ex *παπαλλω* per *πιπαλλω*.

Nasales quae occurrunt in syllabis reduplicativis verborum *βαμβαίνω*, *τονθορύζω*, *πίμπλημι*, aliorum adsentior Boppio [6]) non intrusas esse ad syllabam amplificandam, quae est Curtii sententia, sed ex consonis radicum finalibus effluxisse.

---

[1]) Cf. Christ l. c.
[2]) Cf. Kuhn l. c. X. p. 433.
[3]) Cf. l. c. p. 66.
[4]) Cf. l. c. II. p. 471.
[5]) Cf. l. c. p. 28.
[6]) Cf. l. c. III. p. 110.

§. IX.

In classi V. [1]), quam inter et VIII. proprie non esse cur distinguas demonstravit Bopp [2]), radici suffixum nu adfigitur, quod in singl. praes. par. accentu instruitur et gunatur, in ceteris vero numeris tenoris expers aut servatur simplex aut etiam corripitur u finale amittens. Graece auctum *νυ* in *νῦ* abiit, quod inter et simplex *νυ* eadem intercedit ratio atque sanscrite inter nô et nu. Radix ipsa gunationem non admittit. Vocales radicales *ι* et *υ* manent simplices, *α* etiam corripitur interdum, ut strinômi R. star (*στόρνῦμι*), tripnômi R. tarp.

Graece duorum *ἕννυμι* (*ἕσνυμι* R. vas) et *κτίννυμι* R. ksahn (*κτείνω*) genuinum *α* est correptum; genuinum *ι* est servatum simplex in *μίγνυμι*, *τίνυμι*, *κίνυμαι*. Ceterorum verborum primitivum *α* aut servatum est integrum vel in grave *ο* mutatum (*στόρνυμι*, *ὄμνυμι*, *ὄλλυμι*) (*γάνυμαι*, *ἄγνυμαι*, *ἄρνυμαι*) aut etiam amplificatum (*πήγνυμι*, *ῥήγνυμι*). Gunatum *ι* et *υ* invenitur in *δείκνυμι*, *οἴγνυμι*, *ζεύγνυμι*. Utrum vero haec inconstantia prosodiae mutationi debeatur, quae in his verbis prius sit effecta, quam in *τίνυμι*, *μίγνυμι* an quod radix duabus in fine consonis sit munita, in medio relinquam. Hoc si probamus, lingua Graeca viam iniit prorsus contrariam et oppositam sanscritae, quae ante plenam terminationem nu saepe genuinum a corripit, quod integrum servatur in classe VIII. quasi conpensetur excisum n.

Quod vero attinet ad *δείκνυμι* monendum est graece in coniugatione amplificatam tantum exstare radicem *δεικ*.

Cum autem mutationes, quas suffixum graece subit, indicis ad amussim respondeant, recte concludimus etiam prosodiae rationem antiquitus unam eandemque fuisse.

---

[1]) Cf. Bopp l. c. I. p. 219 sq., II. p. 349 sq. Scrt. Gramm. p. 267 —269. Schleicher l. c. p. 778. Curtius Temp. u. Modi p. 53 sq. Erläutrg. p. 115. Griech. Gramm. p. 153 sq.
[2]) Cf. Bopp l. c.

§. X.

Verba quae secundum classem IX. [1]) declinantur, radici addunt suffixum na, quod in singl. par. nâ gunatur, attenuatur in nî in ceteris numeris.

Quod attinet ad accentus rationem et vocalium radicalium mutationes haec verba ab iis quae classis V. leges sequuntur non differunt.

Huc pertinent verba graeca, quorum radices inter et terminationes syllaba *νᾱ*, *νη* est intrusa, quae in duali et plurali attenuatur in *νᾰ*. Hanc mutationem primigeniam esse, quod iam per se elucet, conprobatur etiam formis nonnullis antiquissimis sanscritis quas adfert Bopp l. c.

Radicale *α* graece in *ε* aut, quod multo usitatius est, in *ι* corripitur (*πέρνημι*, *κίρνημι*, *πίλναμι*, *πίτνημι*, *σκίδνημι*), quae verba satis demonstrant antiquitus accentum in syllabam *νη* cecidisse, quo est effectum ut radix attenuationem pateretur.

Quod attinet ad *δάμνημι*, *μάρναμαι*, *κρήμνημι* cf. quae p. praecedente disseruimus de *ζεύγνυμι* c. c.

Praeterea huc sunt referenda verba, quorum suffixum *νη* in *νω* abiit, quare ex analogia illorum in *ω* exeuntium declinantur, ut *κάμνω*, *δάκνω*, *τέμνω*. His Schleicher etiam *τένω*, *γένω*, *μένω* addit *τε-νω*, *γε-νω*, *με-νω* separans, quas formas Curtius ita ortas esse putat, ut, cum radici *ν* formativum esset adiectum, nova radix ex analogia classis VI. flecteretur.

Graeci postea syllabas nasales magis magisque excoluerunt et multo ditiorem hanc reddiderunt classem; verba vero ita formata, cum non sint genuina, investigare et considerare, a meo consilio alienum est.

---

[1]) Cf. Bopp Verglchd. Gramm. I. p. 220—225; II. p. 349 sq. Scrt. Gramm. p. 269 sq. Schleicher l. c. Curtius l. c.

Typis indicis in sequentibus ad res intellegendas maxime necessariis destitutus ea quae de inperfecto, perfecto, modis praesentis perfectique restant, prima occasione oblata in publicum emittam.